



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 50. An Clerici conjugatinovantes dictas condiciones amittant privilegium canonis & fori exercendo negotiationes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

num. 15. Sanch. cit. d. 46. num. 29. quos citat & sequitur Pirh. n. 30. & 31. Secundum dicta à nobis supra. Secus est, si post ductam secundam uxorem vel viduam, etiam eam mortuam, reassumat habitum clericalem; quia jam factus bigamus; per bigamiam autem dicta privilegia irrecuperabiliter amissa.

4. Tertia conditio novissimè addita per Trid. sess. 23. c. 6. de reform. nimirum ut alicujus Ecclesie ministerio vel servitio ab Episcopo deputatus, eidem deserviat vel ministret. Ceterum notandum hic, quod monet Delb. cit. du. 10. num. 10. Quod si clericus talis conjugatus à Judice seculari captus propter crimen, & detentus alleget & probet se clericum etiam per literas ordinatoris, & hinc petat se remitti ad forum ecclesiasticum, non statim remittendum, nisi doceat, se contraxisse cum una & virgine, & deportasse se habitum & tonsuram clericalem (quin etiam addendum ab eo videtur, se alicui Ecclesie ex deputatione Episcopi deservire) & de his cognoscendum à Judice ecclesiastico & non seculari. Atque hæc dicta de clericis minoribus citra dispensationem Apostolicam; si enim, ut censet Delb. l. c. num. 12. citans pro hoc determinationem S. Cong. Concil. die 24. Maji. & 17. Septemb. 1618. etiam Subdiaconus, qui ex Sedis Apostolicæ dispensatione duxit viduam & pensionem ecclesiasticam obtinet, privilegio fori gaudeat, multò magis id dicendum in eo casu de clerico conjugato in minoribus constituto.

5. Resp. tertio: Clerici in minoribus constituti conjugati, etiam servantes tres dictas condiciones, cæteris aliis privilegiis clericalibus excipiunt, & quò ad res suas seu bona reputantur

laici, ita ut non secus ac alii uxorati non clerici teneantur præstare consueta executiones, collectas, tributa, vestigalia, servitia, onera publica, nisi quò ad hæc etiam speciali lege, consuetudine vel privilegio eximantur; cum hæc non spectent ad privilegium canonis aut fori. ita Covar. pract. qq. c. 31. num. 9. Abb. in c. ex parte. h. r. num. 9. Barbof. ibid. num. 3. citans alios. Sanch. l. 7. d. 46. num. 16. Delb. l. c. du. 11. num. 9. & 10. citans insuper Paris. de resign. l. 41. q. 2. n. 100. Lambert. de jurep. l. 2. p. 1. q. 7. a. 3. n. 4. juxta c. unic. h. r. in 6. & Trident. l. c. dicens esse communem.

*Quest. 50. Num clerici conjugati servantes dictas condiciones amittant privilegium canonis & fori exercendo negotiationes?*

Resp. Videri probabilius, quòd non: eò quòd nullibi expressum in jure canonico, quòd clericis conjugatis (utpote qui in casibus expressis reputantur in omnibus laici) non liceat exercere honestam negotiationem victus gratià, sicut hoc interdictum aliis clericis non conjugatis. c. Joannes h. r. Dum ibi dicitur, quòd tonsura excentis secularia negotia videatur in ministerio seu status clericalis vituperium seu opprobrium redundare. Quippe qui absolute statum clericalem profitentur, ideòque indecens, si secularibus negotiis, etiam aliis licitis & honestis se immisceant. Ac ita tenent Franc. in cit. c. unic. §. & cum. num.

5. Covar. l. c. num. 9. Sanch. l. c. num. 26.

quos citat & sequitur. Pirh.

num. 32.

## TITULUS IV.

De

### Clericis non Residentibus in Ecclesia vel Præbenda.

Tractatus est hic Titulus integrè & accuratè à me in *For. benef. p. 1. à quest. 363. usque ad q. 425.* & quidem de obligatione residendi curatorum. à *q. 366. ad q. 395.* Ubi quo jure ad hoc obligentur. Cujus licentià, ut abesse possint, egeant. De causis eos à Residentia excusantibus. De onere residendi aliorum beneficiatorum non curatorum. à *q. 395. ad q. 425.* ubi quo jure & hi teneantur residere. De causis excusantibus eos à residendo. Qualiter in absentia lucrentur distributiones. De aliis concernentibus materiam distributionum.

## TITULUS V.

### De Præbendis & Dignitatibus.

Titulus hic plenè & fusè à me tractatus in *Foro benef. partim parte prima per totam.* Ubi de beneficiorum Natura, Origine, Exactione, speciebus singularumque conditionibus & qualitatibus à *quest. 1. ad q. 211.* De qualitatibus requisitis in promovendis ad beneficia à *q. 212. ad q. 363.* De oneribus & obligationibus beneficiatorum. à *q. 363. ad q. 434.* De potestate, juribus & emolumentis eorundem. à *q. 434. ad q. 464.* Et in specie de decimis. à *q. 464. ad q. 499. inclusive.*

Partim